



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per  
Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum,  
quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia  
Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 280. An quoque & qualiter adulterium mariti accusare possit uxor.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)



altrinxit, quamvis conjux consentiens in Adulterium alterius non possit actionem vel querelam instituere super illata sibi injuria à conjuge, quia scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus, *reg. jur. 27. in 6. ita Pirh. h. t. n. 1.*

2. Resp. Secundò: Adulterium propriè tale duplex est, aliud simplex, dum solutus cum conjugata, vel conjugatus cum soluta carnaliter miscetur, *Can. cum ergo. & c. cum illa. 32. q. 5. Can. non machaberis. 32. q. 6.* quamvis jus civile Adulterium conjugati cum soluta pro Adulterio minùs propriè habeat, neque ex parte viri, neque ex parte mulieris, & ideo minùs puniat, *Clar. L. 5. §. Adulterium. n. 2. cum Caccialupo in rep. L. si quis illustris. c. ad Officia. n. 58.* dicens, esse communem, quamvis addant, quòd uxoratus eo casu puniri possit pœnâ stupri, & quòd talis coitus appelletur stuprum, *Arg. L. 1. c. de Adulterio. idem tenent Carpz. pr. crim. q. 61. n. 54. & alii civilistæ.* Aliud est duplex, seu bilaterale, dum maritus cum uxore aliena, vel uxor cum marito alieno carnaliter miscetur, ita *Sylv. l. c. Azor. l. c. n. 2. Pirh. h. t. n. 2. Clar. L. 5. §. Adulterium,* quia uterque violat thorum proprium & alienum.

*Quæst. 277. Conjuges factò divortio, an & quando committant adulterium?*

Resp. Non tantùm divortio factò propriâ auctoritate seu illegitimè, v. g. marito malitiosè deferente uxorem, & hac contrahente nuptias vel rem habente cum alio, committitur adhuc Adulterium, non quia factum non est legitimum, id est, de sententia Judicis, divortium, & hinc matrimonium solutum non est, ut volunt *Carpz. l. c. q. 58. n. 32. Lauterb. in ff. L. 48. tit. 5. §. 8.* aliique Acatolici, nixi hoc falso fundamento, quòd matrimonium cognitâ causâ, latâque legitimè sententiâ divortii solvatur. Verùm etiam latâ illâ sententiâ concumbentes cum non-conjuge etiam soluto; quia matrimonium prius subsistit, nullâ potestate humanâ dissolubile.

*Quæst. 278. An & quando committatur Adulterium cum sponsa alterius?*

Resp. Certum est, committi Adulterium propriè tale cum alterius sponsa de præsentì, etsi necdum cognita à viro suo, cùm sponsalia de præsentì verum constituent matrimonium, etiam ante consummationem illius; nuptias enim non concubitus, sed consensus facit, *L. nuptias. ff. de reg. jur. Gl. in c. discretionem de eo, qui cognov. consang. v. reatum. Clar. L. 5. §. adulterium. n. 9. Pirh. h. t. n. 3. & alii communiter.* Secus est, seu non committitur Adulterium à soluto cum alterius sponsa de futuro, quia Adulterium propriè in nuptam committitur, ut dicitur *L. inter §. 1. ff. ad Leg. Jul. de adulter.* Estque adulterium violatio thori conjugalis alieni; per concubitus autem cum sponsa aliena de futuro non habeat jus accedendi sponsam ante consensum conjugalem mutuum expressum aut tacitum, adeoque thorus sponsi non violatur, ac ita cum probabiliore & communiore T. T. & Canonistar, contra *Gl. in c. quemadmodum de jurejur. v. sponsam. & Abb. in c. discretionem de eo, qui cognov. consang. sentiunt Covar. p. 1. de sponsal. c. 1. n. 7. Zæf. in comment. ff. ad Leg. Jul. de Adult. num. 6. Clar. l. c. Sanch. L. 1. de Matr. d. 2. num. 8. Pirh. n. 3. Wiestn. h. t. n. 39.* His non obstante, *L. si uxor. §. divi. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* dum ibi dicitur:

*Etiam in sponso hoc idem vindicandum, quia nec spem matrimonii violare permittitur; in qua lege se fundant Civilistæ non facientes discrimen inter sponsalia de futuro, & sponsalia de præsentì quòd ad committendum Adulterium cum sponsa alterius, ut videre est apud Lauterb. L. 48. ff. tit. 5. §. 6.* nam istiusmodi textus intelligendi de Adulterio non propriè, sed largiùs accepto, pro ut Stuprum comprehendit, ita, ut licet sponso, utpote ex sponsalibus & fide mutuo data, de contrahendo matrimonio habenti jus ad sponsam ab alio interim non violandam, propter irrogatam sibi gravem injuriam, per talem cum sponsa concubitus competat vera actio, *L. etiam. §. sponsam quoque. ff. de injuria.* non potest tamen intentare jure mariti, sed sponsi, nec vindicare concubitus illum ut Adulterium, sed ut fornicationem & stuprum, ita *Covar. l. c. c. 9. Zæf. Pirh. h. cit.*

*Quæst. 279. Quinam & quo ordine admittantur ad accusationem Adulterii?*

1. Resp. Primò in genere: Facultas accusandi in causa Adulterii jure veteri permessa omnibus, quòd postea correctum, ut illi tantùm accusare possint, quibus specialiter concessum. *L. 30. c. b. t.*

2. Resp. Secundò in specie: Personæ admittuntur *L. 30. ad accusandum non simul, sed ordine servato accusare possunt.* Sic ante omnes etiam ante patrem adulteræ admittendus ad accusandum maritus, juxta *L. ex Lege. §. si simul. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* ubi & ratio additur his verbis: *Nam & propensiore ira, & majore dolore executurum eum accusationem, credendum est;* quod ipsum procedit, etiam si pater prævenit maritum in accusando filiam adulteram, modò maritus non fuerit negligens in instituenda accusatione, vel, ut dicitur *L. 3. ff. eod. nisi pater maritum infamem arguat, aut deceat coludere magis cum uxore, quàm ex animo accusare.* Secundò post maritum nolentem accusare, vel desistentem ab accusando admittitur pater mulieris, juxta *L. 2. c. 3. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Post patrem admittuntur reliqui cognati, puta fratres, patruus, avunculus adulteræ, & alii, quos verus dolor ob crimen admissum ad accusandum impellit, *L. quamvis. c. ad Leg. Jul. de Adult.* deficientibus vero, vel cessantibus aut negligentibus propinquis admittuntur quoque extranei, *L. maritus. §. Lex Julia. & L. 1. c. ad Leg. Jul. de Adult.* juncta *L. palam. §. Senatus. ff. de ritu nupt.* quin & cum Adulterium inter crimina publica numeretur, *L. 1. ff. de publ. judic. & §. item Lex Inft. eod.* admittitur quilibet de populo, modò sit mas & major 25. annis, *cit. L. palam. & L. maritus. Welenbec. in parat. ff. eod. n. 10. Harprecht. inst. de publ. jud. §. item Lex Julia. n. 38.* apud *Pirh. h. t. n. 5.* De cætero, tamen si aliàs minor 25. annis accusare non possit, ad suum tamen, si velit, matrimonium vindicandum admitti debet, *cit. L. si maritus.* cum auctoritate tamen tutoris, *L. Clarum. c. de auctor. præst. Gl. in cit. §. Lex Julia. v. audietur.* Sed etsi maritus sit adhuc filius familias, accusare potest uxorem de Adulterio, perinde ac si sui juris esset, etiam invito patre, *L. inter. §. filius familias. ff. h. t. Pirh. l. c.*

*Quæst. 280. An quoque & qualiter Adulterium mariti accusare possit uxor?*

Resp. Possè quoque uxorem accusare adulterium mariti civiliter, puta in ordine ad divortium, repetendam dotem, & acquirendam donationem propter



propter nuptias, certum est, Farin. in praxi crim. p. 5. q. 141. num. 104. Sanch. L. 10. de mat. d. 8. n. 33. Pirh. l. c. & sicut marito, sic & uxori competere ex Adulterio viri actionem injuriarum, cum non minus ex Adulterio viri injuriam patitur, tenent Bald. in L. 1. c. ad Leg. Jul. de Adult. num. 3. Brunnem. ibid. n. 2. Farin. l. c. n. 106. quos citat & sequitur Wiestn. h. t. n. 48. Jure tamen civili virum de Adulterio tam cum soluta, quam cum conjugata habito accusare nequit, cit. L. 1. c. ad Leg. Jul. de Adult. Gl. ibid. v. violatio. Hoff. in sum. h. t. n. 1. Covar. p. 2. de spons. c. 7. §. 6. num. 5. Farin. cit. num. 104. Sanch. & Pirh. ll. cit. ratio communiter datur, tum quod uxor majorem reverentiam debeat viro, tanquam capiti suo, quam is illi; tum quod Adulterium in uxore gravius crimen reputetur, & à jure puniatur, ob incertitudinem & suppositionem proliis, ut Tiraq. Connub. Gl. §. p. 1. n. 44. Unde & uxori criminaliter accusata, similis criminis à marito commissi exceptio denegatur, Covar. l. c. Sanch. l. c. n. 34. Soto in 4. dist. 37. q. unic. a. 3. Jus verò canonicum hoc discrimen non agnoscit, sed juxta illud uxorem quoque criminaliter virum de Adulterio accusare potest, c. fin. 32. q. 5. & Arg. c. si quis. 32. q. 1. juncta Gl. v. ad imparia. ubi ait: Vir & uxor in Adulterio deprehensi non quò ad imparia judicantur, quò ad debitum reddendum, divortium & accusationem, in quo SS. Canones imitari non dedignantur Constitutiones Imperiales, dum accusationem criminalem mariti uxori expressè permittit Carolus V. in sua Const. penali. à 120. Welenb. in ff. ad Leg. Jul. n. 12. Brunnem. in cit. L. 1. n. 4.

#### Quest. 281. Quinam accusari possint de Adulterio?

Resp. Omnes hujus criminis rei vel reæ, minores, senes, Clerici, Nobiles, & in dignitate constituti de hoc crimine accusari possunt, ita, ut loci, in quibus poena hujus criminis est capitalis, non sint immunes ab accusatione, Carpz. pr. crim. q. 62. n. 1. §. seg. & sic accusari possunt tam adulter, quam adultera, modò sciverint utrumque eum vel eam, cum quo vel qua scortatus vel scortata est, esse alterius conjugem. Hinc, si mulier ab aliquo decepta, putans esse illum maritum suum, carnaliter cognoscatur, vel credens maritum suum mortuum, cum alio contrahat nuptias, non potest accusari tanquam adultera; idemque est de eo, qui cognoscit foeminam, quam ignorat esse nuptam, Farin. l. c. n. 97. Extenditur hoc ipsum, quod accusari possit adultera, & puniri, primò ad publicam meretricem conjugatam, L. si uxor. §. sed etsi ea. ff. h. t. & ibi. Gl. v. vulgaris. Pirh. h. t. n. 9. & alii plures apud Farinac. l. c. n. 84. contra Clarum, §. Adulterium. n. 3. dicentem, quod etiam quò ad mulierem talem meretricem publicam cesset poena Adulterii, adeoque & criminalis accusatio Adulterii, non obstante, quod L. si ea. c. b. t. dicitur: Adulterii crimen cum meretrice cessare, cum ibi Adulterium accipiatur pro Stupro, juxta Gl. ibid. v. Adulterii. virum tamen conjugatum accedentem ad talem publicam meretricem conjugatam non posse accusari & puniri tanquam reum Adulterii, eò, quod non videatur violasse thorum alienum, ubi nullus est thori pudor & respectus, sed promiscua & vulgaris marito conniventeturpitudine, tradit Pirh. l. c. cum Welenb. l. c. n. 6. Farin. l. c. n. 82. ubi dicit, sic hodie in praxi servari. Extenditur secundò: ut non solum accusari possint, qui mœchantur, sed etiam, qui quavis

ratione quæstum ex Adulterio faciunt, exercendo lenocinium, seu prostituendo uxorem suam, vel scienter domum præbendo, ad committendum in ea Adulterium, L. qui domum. L. mariti. §. qui quæstum. ff. h. t.

#### Quest. 282. Intra quod tempus accusatio Adulterii instituenda?

Resp. Maritus jure speciali mariti accusare potest uxorem Adulterii intra 60. dies utiles computandos à tempore facti divortii, seu matrimonii soluti per divortium, L. jure. c. h. t. L. non solum. c. eod. & ibi Gl. v. in dissolutione. Idem tempus dierum 60. concessum patri, quod tamen illi non currit, dum maritus accusat, si verò uterque, tam maritus, quam pater differat accusare, utrique hoc tempus currit, L. si maritus. ff. h. t. post elapsos verò illos 60. dies admittuntur etiam extranei (& inter hos etiam maritus & pater, si privilegium 60. dierum neglexerint, sed jure extranei) intra quatuor menses utiles, cit. L. si maritus. §. 1. L. miles. §. sexaginta dies. ff. h. t. ita Pirh. n. 8. De cætero, etsi crimina non præscribantur regulariter minore tempore, quam 20. annorum, accusatio tamen Adulterii (intellige simplicis) præscribitur quinquennio, Clar. L. §. §. Adulterium. juxta L. mariti. ff. h. t. Adulterii verò conjuncti cum incestu non nisi 20. annis, sicut & cætera crimina.

#### Quest. 283. Quisnam sit Judex competens in causa Adulterii?

1. Resp. Primò: Si agatur criminaliter quò ad poenam sanguinis, seu mortis, solus Laicus est Judex competens in hac causa; est communis & certa, quia Judex ecclesiasticus causam sanguinis tractare, & in ea sententiam ferre nequit juxta textum expressum, c. penult. ne Clerici vel Monachi.

2. Resp. Secundò: Si verò agitur criminaliter quidem, seu ad vindictam publicam, quò ad alias poenas, Adulterium est crimen mixti fori, & spectat ad utrumque Judicem, tam ecclesiasticum, (etiam quo ad Laicos) quam sæcularem, daturque inter eos locus præventioni, Abb. inc. tua. de procur. n. 6. Imol. ibid. n. 10. Clar. §. fin. q. 37. n. 3. Pirh. h. t. n. 10. cum communi. Et quidem de ecclesiastico Judice est textus, c. 1. de off. Jud. ordin. de Laico constat ex c. tua. de utroque ex c. cum sit. de foro comp. ubi utrique, tam Laico, quam Ecclesiastico datur jurisdictio in Sacrilegos; Adulterium autem, utpote inferens injuriam Sacramento, est & dicitur Sacrilegium, L. quamvis. c. ad Leg. Jul. de Adulterio.

3. Resp. Tertio: Si agatur civiliter in ordine nempe ad divortium, seu separationem thori solus Judex ecclesiasticus est competens. Covar. in 4. Decret. c. 7. §. 6. n. 8. Clar. l. c. Sanch. de mat. L. 10. d. 8. n. 15. Pirh. l. c. juxta c. tua. §. si verò, c. 1. ut lite non contest. c. plerumque, de donat. inter vir. & mul. & ibi Alex. Sicut enim, quando agitur de valore matrimonii, ad solum Judicem ecclesiasticum spectat desuper cognoscere ob rationem Sacramenti, ita etiam, dum agitur de causis dissolvendi illud, quò ad thorum, dum autem agitur principaliter in ordine ad divortium instituendum coram Judice ecclesiastico, ad eum quoque spectat cognoscere de dote amittenda, Pirh. l. c. Reiffenst. n. 40. cum, qui cognovit de causa principali, cognoscere quoque debeat aut possit de accessorio, seu incidente in causam principalem, etsi alias respectu hujus Judex competens non esset, L. quories. c. de Judic.